

quae disciplinam & excommunicationem serio urgent & commendant.

PRAEIVDICIVM X.

Piarum causarum usus, & auctoritatem Ministerio debitam imminuisse.

§. I. Maximum piarum causarum abusum, nimiamque Cleri papalis in Ecclesia dominationem non levia, sed graviora damna peperisse, tot Germanicae nationis gravamina loquuntur; imo tot fide dignissimi Scriptores, inter quos autor *Oneris Ecclesiae* eminent, confirmant. Sicut autem usu quotidiano venit, ut aliquis, evitato uno extremo, in alterum dilabatur, ita Reformationis tempore, quod negandum non est, factum fuit, ut sublato piarum causarum abusu, & imminuta nimia Clericorum reverentia, ea, ex quibus hi abusus saltem culpa hominum oriebantur, simul rejicerentur, & quidem non sine summo, maximoque Ecclesiae detrimento, de quo *HUBERVS Instit. Histor. Civ. P. II. L. I. Sect. III. p. 251.* nervose verba facit: *Opibus Ecclesiarum occupatis, nihil Ecclesiasticis, quam paupertas, & vis nudae veritatis cum gladio verbi & simplicitas religionis sine ulla auctoritate, vel splendore, foris se exserente, relictum est, quae simplicitas, ut vi sanctitatis & spiritus sola sustineri poterat, ita his destituta desit in contemptum sacri ordinis, cui pauci dignitate opibusque praecipui se dedere solent. Vnde Politicorum in Ecclesiam, ejusque disciplinam dominatio. Hinc eo magis dolendum est, Novatores etiam hoc Ecclesiae malum, pia & prudenti LVTHERI reformationi imputare non erubescere. ARNOLDVS l. c. c. XIV. §. 4. hoc praejudicium innuit: Denen Predigern sey ihre Hobeit, Einkünffte, und andere Vortheile durch Lutherum beschnitten. Anonym. im verdeckten und entdeckten Carneval p. 187. Als Lutheri Reformation angieng, war fast kein Winckel mebr übrig, da nicht ein Kloster bingebauet, da es nur*